

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Basileae, 1551

Epistola V

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-245](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-245)

DIO Perdicæ, bene agere.

Epistola v



EUPHREO suasi quemadmodum ad me scripsisti, ut in rerum tuarum administratione perseveraret. Est autem meum tibi quoque & de alijs rebus, quemadmodum religio & hospitalitas postulat, consilium dare: & quemadmodum Euphreo uti debeas. Profecto uir ille ad multa utilis esse potest. maxime uero ad id, cuius tu plurimum indiges ob ætatem, præsertim quum haud multi reperiantur, qui de his rebus consilium iuuenibus comode afferre possint. Est enim uox quaedam uniuscuiusque civilis gubernationis: uelut animalium quorundam. Nam aliam popularis, aliam paucorum, aliam unius gubernatio uocem emittit. Has intelligere multi profitentur, sed longe absunt ab intelligendo, præter admodum paucos. Quæ igitur gubernatio propriam uocem erga deos & erga homines emittit, consentaneasque uocis actiones reddit, ea uiuet semper atque seruat. quod si uocem alterius imitatur, interitum recipit. Ad hæc Euphreus tibi perutilis esse poterit: quauis & ad alia uir fortis sit. Rationes enim monarchie id est principatus unius, non minus quam eos qui apud te sunt, eum inuenturum esse spero. Ad hæc igitur illo fretus, utilitatem ex eo percipies, & referes ipsi deinde quam plurimam. Quod si quis hæc audiens obijciat: Plato quidem profitemur quæ ad popularem statum conferant intelligere: nunquam tamen licet occasio data fuerit, in ciuitate sua surrexit ad consilium populo exhibendum: ad hæc respondebitur: Platonem sero tandem fuisse in patria, populumque offendisse iam senescentem, assuefactumque per illos qui ante se fuerant, multa diuersa facere a consilio suo. Nam libentissime ut parenti illi consulisset, nisi frustra se ipsum periculo subiecturum existimasset. Idem quoque circa consilium mihi futurum existimo. Si enim insanabiles uideremur, re dimissa, omni de me meisque consilio abstineret. Esto felix.

PLATO Hermiæ, Erasto, & Corisco, bene agere.

Epistola vi



MHI quidem uidetur deorum aliquis fortunam uobis optimam, modo recte eam recipiatis, benigne abundeque parasse. Quippe finitimi estis, & utilitatem uobis mutuam conferre ualeatis per maximam: Hermiæ siquidem neque multitudo equorum, neque alius belli apparatus, neque auri magnitudo usque adeo uires aueret, quantum amicorum bonorum constantia atque fidelitas. Erasto autem & Corisco præter sapientiam istam de speciebus pulcherrimam, alia insuper affirmo, & si sum senex, opus esse sapientia aduersus improbos iniustosque cauendi, & ad resistendum potentia. Sunt enim inexperti fraudum: quia penes nos cum hominibus uiuere diu consueti sunt minime malis. Quapropter illos huiusmodi quadam indigere dicitur cautione, ne compellantur ueram negligere sapientiam & humanam hanc necessariamque sapientiam, plus quam deceat meditari. Rursus uero eam ipsam uim mihi uidetur Hermiæ in primis natura usque & arte consecutus. Quid igitur dico? Equidem Erasti & Corisci mores ingeniaque expertus magis quam tu confirmo tibi, o Hermiæ, denuncio, testor, non facile magis fidos homines istis finitimis esse te reperaturum. Tibi itaque consulo, ut quoad fieri potest ac licet, omni studio hos uiros complectaris. Vobis quoque o Eraste & Corisce consulo, ut Hermiam uicissim suscipiatis, certantes mutuo amore & beneficio, uno maxime amicitiae nodo uinciri. At si quis uestrum coniunctionem istam dissoluere uideat, nam humana quidem mobilia sunt, huc ad me meosque mittite accusatoriam in delinquentem epistolam. Puto enim iustitia & pudore refertos, qui a nobis proficiunt sermones, nisi quid magnum subsit, magis, ut dicitur, omni incantatione uos in pristinam amicitiam & communionem copulatuos. Ita si philosophemur omnes, utriusque quantum ualebimus, & nostrum cuique concedetur, rata hæc modo edita oracula seruabuntur. Quod si ista negligamus, nihil equidem præfabor. Omen namque bonum uobis prædico, atque uaticinor, hæc bona omnia uos ita demum esse facturos, si deus uoluerit. Hanc uero epistolam a uobis tribus simul legendam censeo: aut saltem duobus unam legentibus, & sæpe etiam repetentibus. Utendumque uobis pacto & lege certa: etiam iureiurando ut æquum est interposito, non sine elegantissimo studio atque huius studij sorore disciplina, testando deum rerum omnium ducem presentium & futurarum, ac ducis & causæ patrem dominum. Quem si uere philosophemur, cognoscemus aperte omnes, quatenus felicitis hominis natura pertingere potest.

Plato